uitam in peregrinatione exigentibus hoc euenit
ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est his qui nullius se ingenio familiariter applicant sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest cibus
nec corpori accedit qui statim sumptus emittitur. Nihil aeque sanitatem impedit quam remediorum crebra
mutatio. Non uenit uulnus ad cicatricem in quo
medicamenta temptantur. Non conualescit planta quae saepe transfertur. Nihil tam utile est ut in
transitu prosit. Distringit librorum multitudo.
Itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas. Sed modo inquis
hunc librum euoluere uolo, modo illum. Fastidientis stomachi est multa degustare, quae ubi
uaria sunt et diuersa, inquinant non alunt.
Probatos itaque semper lege, et si quando ad alios deuerti libuerit, ad priores redi. Aliquid cotidie aduersus paupertatem, aliquid aduersus
mortem auxilii compara, nec minus aduersus
ceteras pestes; et cum multa percurreris,
unum excerpe quod illo die concoquas. Hoc
ipse quoque facio; ex pluribus quae legi ali
quid apprehendo. Hodiernum hoc est quod apud Epicurum nanctus sum. Soleo enim et in aliena castra
transire, non tamquam transfuga, sed tamquam explorator. Honesta inquit res est laeta paupertas.
Illa uero non est paupertas si laeta est. Non qui parum
habet, sed qui plus cupit pauper est. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis